313 - 31

Index Passionum
quæ descriptæ sunt in codice ms. nuncupato Passionale Capituli S. Victoris Intri.

De codicibus passionariis, qui usui erant Ecclesiis agit Baronius in notis Martyrologii Nonis Februarii.

1 Fragmentum Passionis S. Andreæ Apostoli. Acta martyrii hujus Apostoli descripta leguntur a Presbyteris, et Diaconis Achajæ testibus ocularibus ipsius Martirii, ut colligitur ex Lectionibus Breviarii cum quibus Passio descripta in Codice Intrensi concordat. M. Tillemontius aliique non ea reputant authentica. Baronius vero et Natalis Alexander ea, ut authentica pluris estimant. Probabile est residua esse eorum actuum, quos prisci Heretici primis Ecclesiæ temporibus conscripsere a Catholicis tamen emendata et exornata. Acta Martyrii S. Andreæ fuere in usu apud Encratiticas Manichæos et Priscillianistas. Non defuere, qui conficta asserverint a Nexocaride et Leonida Philosophis, alii vero a Leucio quodam consimilium Actuum compositore. Quidam autumant ab ipsis Manichæis exarata fuisse. Quod certum est nullam nunc temporis hæresim redolent. Ante octavum sæculum nullibi citata reperiuntur. Videri possunt Tillemontius adnotatione 2. de S. Andrea P. Mabillonius in Tract. de studiis Monasticis tom. 2. cap. 3. P. Alexander, Baronius in notis Martyrologii.

2 Ordinatio S. Ambrosii.

3 Passio S. Stephani. Hæc desumpta est ex actibus Apostolorum

4 De S. Jacobo Minore. Priscis Ecclesiæ temporibus Festum S. Jacobi ut notat Cardinalis Lambertinus in quodam suo libro celebratur circa Festum Nativitatis D. N. J. Christi.

Ibi forsitan sermonem habet de S. Jacobo Majore.

5. De S. Agnete. Incipit: Servus Christi Ambrosius Episcopus Virginibus sacris.

6. De S. Vincentio.

7. De S. Julio. descriptio hec Actuum S. Julii Presbyteri videtur antiquissima. Pallium, quo utebatur, apellatur Coriolum. fit mentio etiam S. Audentii Senatoris Mediolanensis et Judicis seu Prefecti Regionum circa Lacum Julianum. De S. Audentio fit Officium in Ecclesia Novariensi. In alio codice habentur acta ipsius alia methodo, et plurali descripta, et concordant cum codice Ms. Cathedrali ...

8. De S. Agata. Acta hujus Martyris cum die, et Decio tertium Consule annotata etiam in Codice Intrensi, profitetur Baronius habuisse descripta in Codice Passionario suę Bibliothecę. Videatur idem Baronius in notis Martyrologii Nonarum Februarii.

9. De S. Georgio. Acta hujus Martyris magna ex parte apocripha videntur. Describitur conflictus Georgii cum Athanasio mago, conflictus aliquis ut videre est apud Baronium, fuit inter Georgium Arianum invasorem Sedis Alexandrinę, et D. Athanasium. Sed heretici rem omnem adulterantes fabulosam pugnam, et questionem adinvenerunt inter D. Georgium, et magum Athanasium.

10. De S. Philippo Apostolo. Hujus Passionis narratio ita terminatur. Natalis autem dies depositionis ejus colitur Hierapoli Civitate in Provincia Asię Kalendarum Majarum ...

11. De Inventione S. Crucis. Hujus Inventionis historia concordat cum ea, quę habetur in Breviario.

12. De S. Victore. Passio S. Victoris descripta fuit a quodam Maximiano, qui se dicit Notarium Imperatoris. fuit

FONDAZIONE MARAZZA

ab ineunte ætate Christianus, ac fatetur se fuisse præsentem Martyrio S. Victoris. Admittitur etiam a Papebrochio tanquam authentica ejus narratio, sed tamen idem Maximianus Notarius mendacii ab eodem Papebrochio arguitur, quod induxit S. Victorem ad prædicendam mortem Maximiani Imperatoris eodem anno secuturam, quo idem Martyr passus est. Martyrium subiit S. Victor anno 307. juxta Baronium, aliosque, eodem anno migravit e vita impius Maximianus Herculeus juxta quamplurium Scriptorum opinionem. Verum Papebrochius Maximiani Cæsaris obitum secutum dixit anno 3010. Papebrochium exactissime temporum rationem pervestigasse non est inficiandum at longe a deceptione fuisse non est extra dubii fines. Præterea fieri potest ut deceptus sit Baronius, qui Passioni S. Victoris assignavit annum 307. cum forte fuerit assignandus annus 3010. Conjectura etiam non deest, ut a mendacii notā liberari valeat Maximianus Scriba Imperialis atque hæc est. Si Maximianus Herculeus eodem anno, quo S. Victor mortem non subiisset, vel ipse Scriba, vel Christiani superstites neci nefarii persecutoris, vaticinium illud tanquam non comprobatum eventu ab Actis Martyrii expunxissent. Credibile enim non est ut reddita Ecclesiis pace dum acta S. Victoris manifesta fierent et passim a Christianis perlegerentur, eos, quibus notissima erat pluralitas annorum, qui intercesserant inter S. Victoris Martyrium, et mortem Maximiani Cæsaris voluisse apocrypham supra enunciati prophetiis narrationem permittere. Summa erat etiam illis temporibus sollicitudo, ut quæ legenda proponebantur acta Martyrum veritati consentanea essent, præcipue si superstites adhuc rerum gestarum testes oculares fuissent. At si sacræ antiquitatis tempora iterum pervestigentur, fortasse ad hujus rei dubietatem solvendam, aliquod argumentum conjecturam

FONDAZIONE MARAZZA

superans adinveniri potuit. Acta S. Victoris habentur etiam in Ecclesia Volaterrana.

13. De Translatione S. Nazarii. Hujus translationis narratio ita incipit. Revertens Beatus Ambrosius ab Urbe Aquilejensi uno die praecessit Imperatorem. Nec diu clementissimae memoriae Theodosius Imperator susceptis filiis in Ecclesia et traditis Sacerdoti in hac luce fuit. Post cujus obitum fere triennium supervixit.

14. De S. Dionisio. In Actis hujus Mediolanensis Episcopi nulla fit mentio illius celebris subscriptionis, quam deinde ingeniose delevit S. Eusebius. Fit tamen mentio Concilii quod Mediolani celebratum est. Parum abfuit quin Dionisius ab Arianis in eo Concilio excitato tumultu occideretur.

15. De SS. Sisinio Martyrio et Alexandro. Hi Martyres passi sunt Stilicone Consule.

16. De S. Vito. Acta Martyrii SS. Viti Modesti atque Crescentiae manuscripta habuit Baronius vetusto caractere Longobardico. In Codice Capituli Interensis Crescentia vocatur Papatissa Viti.

17. De SS. Gervasio et Protasio. Ista eorum Passio incipit. Ambrosius servus Christi Fratribus, qui sunt per Italiam etc. Astasius Comes, sub quo hi Martyres passi sunt, legitur eo tempore debuisse proficisci ad bellum marcomannicum. hinc Baronius in eam ivit sententiam, ut dixerit non sub Nerone hos Martyres passos fuisse, cum Neronis tempore nullum fuerit bellum contra Marcomannos, sed sub Marco Aurelio Antonino et Lucio Vero Augustis. Plurium enim Augustorum in his actis fit mentio.

18. De SS. Joanne et Paulo. Horum Martyrum Acta ita terminantur. Et ab ipso Terentiano descripta est Passio ista Sanctorum. Passio descripta a Terentiano habetur etiam apud Mombritium tom. 2. Ne cui ingeratur opinio Acta Martyrum descripta in Codice Interensi excerpta fuisse a

FONDAZIONE MARAZZA

a libris Mombritii animadvertendum est Codicem hunc Passionarium extitisse penes Capitulum Intri multo ante Mombritii tempora. Fit enim mentio prædicti passionarii in alio Codice ejusdem Capituli conscripto ante annum 1200.

19. Passio Beatissimorum Apostolorum et Martyrum Petri et Pauli. Acta hujus Passionis recensent quæstionem Principum Apostolorum cum Simone mago. Isti quæstioni coram Nerone interfuit etiam Pontius Pilatus. At sint legitima hæc acta, vel apocrypha serio sunt examinanda. Linum recensitam quæstionem cum Simone mago habitam a Divo Petro conscripsisse legimus in Breviario Romano. Unde sit excerpta, quæ habetur in Passionario Intrensi prorsus ignoratur.

20. De SS. Nabore, et Felice. Perlegenti passionem D. Victoris, eamque horum Martyrum facile constabit utramque conscriptam fuisse a Maximiano qui fuit tempore Maximiani Cæsaris Notarius. Maximianus iste videtur fuisse ille, cujus quondam extitit vetus inscriptio Mediolani in Sacra turri S. Stephani Majoris, quæ decidit anno 1846. Inscriptio hæc fuit, ut videre est apud Alciatum et Carolum a Basilica Petri in vita S. Materni. quæ

Q. Ingenuus Maximianus
Scriba publicus Pontificius
et Curator Ærarii.

Legitur Naborem, et Felicem necatos fuisse juxta portum Civitatis Laudensis circa fluvium Excleva.

21. De SS. Quirico, et Julitta.

21. De S. Christina. Passio hujus Martyris incipit: Beatissima. eodem modo incipit Passio S. Christinæ teste Baronio quæ habetur in veteri codice S. Ceciliæ trans Tiberim.

22. De SS. Nazario et Celso.

23. De SS. Machabęis. Passio hęc excerpta fuit ex libro Machabęorum.

24. De S. Xisto. Benedictus Papa XIV. ait veteres codices hęc verba S. Laurentii ad Xistum continere: Quid ergo in me displicuit Pater? num degenerem me probasti? experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis conservationem. Ita etiam legitur in codice Iniverni, non vero: dispensationem.

25. De S. Genesio.

26. De S. Alexandro.

27. De S. Tecla.

28. De S. Pelagia.

29. De S. Apollinare.

30. De S. Gaudentio. In fine adest Hymnus.

31. De S. Vincentio. Passio hęc diverso methodo legitur descripta ab ea quę posita est sub num. 6.

32. De S. Columba. Hęc martyrium passa est pridie kalend. ~~Januarii~~; ideoque non est ea quam Caddbenses colunt, et Senonenses.

33. De S. Laurentio. Passio hęc descripta est fere admodum. Legebatur etiam ad vigilias.

34. De S. Hippolito.

35. De S. Clemente

36. De S. Bartholomęo. Hęc Passio incipit: Indię tres esse ab historiographis asseruntur.

37. De S. Jacobo Apostolo.

38. De Inventione S. Crucis

39. De S. Eusebio. In hac Passione legitur S. Eusebium ingeniose delevisse subscriptionem Dionisii.

40. De S. Joanne Evangelista. Incipiunt Acta hujus Apostoli his verbis: Melito servus Christi Episcopus Laoditię universis Ecclesiis et

FONDAZIONE MARAZZA

et Episcopis Catholicis in Domino æternam salutem &c. aliqua direxit Melito contra Leucium compositorem Evangeliorum S. Andreæ et S. Thomæ. Reprehendit eumdem Leucium quod docuerit S. Apostolos docuisse duo principia. Bonum, et Malum. Prosequitur enarrando Acta, et miracula S. Joannis, eumque tandem ab oculis hominum evanuisse Ephesi in foveâ sibi paratâ in quam vix ingressus circumfusus luce, ac nebula disparuit. Fovea vero reperta fuit dulci manna repleta an hæc acta figmenta sint, unusquique judicet. Non desunt ex antiquis ~~aliis~~ scriptoribus, qui rem ut supra narratam minime ut apocrypham rejiciant.

In alio Passionario sub initium duodecimi sæculi conscripto leguntur acta S. Laurentii martyris ad Cereum. Antiphonæ, quibus utitur ecclesia Novariensis in ejus festo, desumpta sunt ex Passione, quæ paraphrastice aliquantulum in hoc libro descripta est.
Item leguntur acta S. Agabii Episcopi Novariensis.

FONDAZIONE MARAZZA

FONDAZIONE
MARAZZA